Prot. n. 24171/93 CA
N
Dimissionis
(Soror Z – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

DECRETUM DEFINITIVUM*

IN NOMINE DOMINI.
AMEN.

IOANNE PAULO PP. II feliciter regnante, Pontificatus sui anno XVII, die 18 martii 1995, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D. D. Gilberto Agustoni, *Praefecto*, D. Simone Lourdusamy, Rosalio Joseph Castillo Lara, Eduardo Gagnon et Antonio Maria Javierre Ortas necnon Exc.mis ac Rev.mis Iuliano Herranz, *Ponente*, Philippo Giannini et Aemilio Eid, in causa N., Dimissionis, inter Sr. Z et Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolica, intervenientibus cl.mis Patronis D.no Ioseph Spinelli pro recurrente, D.no Carolo Tricerri pro Congregatione et D.no Carolo Gullo pro Instituto Sororum X, necnon Rev.mo P. Ioseph Di Mattia, O.F.M.Conv., Promotore Iustitiae deputato, hoc definitivum tulerunt decretum.

1. Moderatrix Generalis Instituti Sororum X, una cum suo Consilio, die 28 decembris 1987 decretum tulit dimissionis Sororis Z ab Instituto, ad normam can. 699, §1. Ratio dimissionis erat, iuxta can. 696, § 1, pertinax inoboedientia relate ad translationem ad aliam domum Instituti praefatae Sorori impositam. Congregatio tamen pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, die 4 iunii 1988, decisionem sumpsit se non posse decretum dimissionis confirmare in casu.

* Publication forthcoming in *Ius Canonicum*. See also *L'attività della Santa Sede 1995*, 847, no. 2.

2. Adversus hanc decisionem Moderatrix Generalis, die 10 iunii 1988, recursum interposuit apud hoc Supremum Tribunal, quod omnibus tum in iure tum in facto rite perpensis die 20 aprilis 1991 statuit: "constare de violatione legis in decernendo relate ad actum Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae diei 4 iunii 1988, quo denegabatur confirmatio decreti Moderatricis Generalis Sororum X".

3. Orta dein disceptatione inter Congregationem et Moderatricem Generalem circa motiva iuris in decreto dimissionis exprimenda, ipsamet Moderatrix cum suo consilio, die 19 martii 1992

novum tulit decretum dimissionis illudque ad Congregationem pro confirmatione transmisit, ad normam can. 700, quam confirmationem obtinuit per decretum die 13 aprilis 1992 latum.

Contra decretum dimissionis, Soror Z, intra decem dies a recepta notificatione ad Congregationem recurrit exhibens die 25 iunii 1992 memoriale in quo motiva recursus exponebantur. Congregatio vero die 25 februarii 1993 recursum reiecit.

4. Provocavit tunc Soror Z die 23 martii 1993 ad hoc Supremum Tribunal, petens:

a. ut funditus examinaretur praefata sententia huius Supremi Fori diei 20 aprilis 1991;

b. ut examinarentur casus dimissionis eiusdemque acta sive *in procedendo* sive *in decernendo*.

Re rite discussa inter cl.mos Patronos recurrentis, Congregationis et Instituti necnon Rev.mum Promotorem Iustitiae deputatum, hoc Supremum Tribunal in Congressu coram Exc.mo Pro-Praefecto

die 25 maii 1994 habito, decrevit: "Recursus non admittitur ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Iudicibus, quatenus ipse manifeste caret fundamento".

5. Adversus hoc decretum Patronus "ex officio" recurrentis, immo et ipsa Soror Z, recursus exhibuerunt sequentes ob rationes:

1ª) Recurrens censet sibi ius defensionis coram hac Signatura Apostolica denegatum esse;

2ª) Sive Patronus "ex officio" sive recurrens petunt ut totus casus novo examini coram Em.mis ac Rev.mis Iudicibus subiciatur "al fine - ait cl.mus Patronus recurrentis - di arrivare alla verità e poter restituire la Giustizia alla ricorrente che ha sempre scrupolosamente adempiuto ai propri doveri di religiosa";

3ª) Idem Patronus speciatim petit ut "venga ravvisata nel caso, la violazione di legge in procedendo", quae violatio iam agnita est a Rev.mo Promotore Iustitiae deputato, qui in suo voto diei 15 aprilis 1994 indicavit: "la patente violazione della legge [in procedendo] da parte della Moderatrice Generale sia per quanto concerne l'obbligo della votazione sia per quanto riguarda al segreto del suffragio";

4ª) De cetero, cl.mus Patronus recurrentis remittit ad suum memoriale die 29 novembris 1993 propositum, id est ante impugnatum decretum in Congressu latum.

Rev.mus tandem Promotor Iustitiae die 3 novembris 1994 votum pro rei veritate praesentavit, quo perpenduntur rationes allatae a recurrente eiusdemque cl.mo Patrono.

Nunc Nobis solvendum est hoc dubium: "**An reformandum sit decretum in Congressu diei 25 maii 1994 latum, quo recursus non admittitur ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Iudicibus?**"

IN IURE ET IN FACTO

Prae oculis habitis omnibus actis causae Nobis traditis, sequentia animadvertenda sunt quoad supradictas rationes recursus adversus decretum Congressus:

Ad 1am. Ex actis large apparet ius defensionis minime recurrenti denegatum esse. Soror Z enim gratuitum patrocinium postulavit et eidem statim datus est Patronus "ex officio", qui memoriale pro recurrente obtulit. Postea cum eodem Patrono rite communicata sunt votum pro rei veritate Rev.mi Promotoris Iustitiae deputati et memoriale Patroni Publicae Administrationis, ut Patronus recurrentis responderet, si vellet. Normae praeterea huius Supremi Tribunalis statuunt: "Partes possunt stare in iudicio solummodo per Patronum" (Art. 99, § 1).

Ad 2am, seu de iterata petitione ut totus casus novo examini a nostro Supremo Tribunali subiciatur, responsum iam datum fuit in impugnato decreto Congressus, quod ad rem recte statuit: "Iuxta

can. 1629, n. 1, non est locus appellationi a sententia Signaturae Apostolicae, quam ob rem petitio, ut sententia diei 20 aprilis 1991 novo examini subiciatur considerari nequit". Adversus sententiam huius Supremi Fori dari utique potest restitutio "in integrum", sed haec specialis impugnatio sententiae neque facta est a recurrente eiusve Patrono neque in casu sustineretur quia non habentur praesupposita de quibus in cann. 1645-1646.

Denique assert[am] violatio[-nem] legis "in decernendo", eo quod non haberetur pertinax inoboedientia ex parte recurrentis, impugnatum decretum Congressus validis motivis refutavit, inter alia statuens: "Sententia huius Supremi Fori ... iam reiecit argumenta nunc denuo proposita".

Ad 3am, seu de duabus violationibus legis in procedendo a

Rev.mo Promotore Iustitiae deputato suo voto diei 15 aprilis 1994 allatis, quae solummodo nunc (minime autem ante Congressum diei 25 maii 1994) a cl.mo Patrono recurrentis proponuntur. Ad rem impugnatum decretum Congressus recte statuit: "In casu huius Supremi Fori tantum est videre de violationibus legis sive *in decernendo* Zte eiusve cl.mo Patrono allatae sunt (cf. art. 123, §§ 1-2, Const. Ap. "Pastor bonus") relate ad ipsam dimissionem Sororis Z", necnon: "recurrens eiusque cl.mus Patronus nullam violationem legis *in procedendo* adducunt". Ex quibus logice sequebatur considerandas non esse assertas violationes legis *in procedendo* a Rev.mo Promotore Iustitiae deputato adductas, nam hoc Supremum Tribunal nequit agere «ultra petita».

Ad rem tamen animadvertendum est duo argumenta a Promotore Iustitiae deputato invocata sustineri non posse, quia:

1um. Ex facto quod Antistita Generalis sese abstinuit a suffragatione in sessione deliberativa ferenda minime habetur violatio legis, quia in omni deliberatione collegiali quis potest, et quandoque debet, a suffragatione ferenda abstinere. Praeterea in casu deliberatio coram ipsa Antistita Generali facta est atque quattuor membra consilii, ad normam can. 699, § 1, suffragium pro dimissione dederunt;

2um. Opinatur quoque Rev.mus Promotor Iustitiae deputatus haberi violationem legis, quia exitus suffragationis indicatur in ipso decreto dimissionis. Ad rem haec notantur: in deliberatione de dimissione religiosi, decisio per secretam suffragationem ferenda est (cf. can. 699, § 1); iamvero, suffragatio secreta confundenda non est cum publicatione exitus eiusdem; atqui decisio per suffragationem secretam lata est; violatio ergo can. 699, § 1, in casu non probatur.

Ad 4am, seu de generali remissione facta a Patrono recurrentis ad memoriale ante Congressum exhibitum clare apparet ex actis quod impugnatum decretum Congressus rem iam satis consideravit.

CONCLUSIO

Omnibus et singulis tum in iure tum in facto rite perpensis et cribratis, proposito dubio Patres censuerunt respondendum esse uti respondent:

NEGATIVE, SEU NON ESSE REFORMANDUM DECRETUM IN CONGRESSU DIEI 25 MAII 1994 LATUM, QUO RECURSUS NON ADMITTITUR AD DISCEPTATIONEM CORAM EM.MIS ET EXC.MIS IUDICIBUS.

Pro expensis et honorario cl.mi Patroni "ex officio" retinetur summa apud arcam huius Supremi Fori deposita.

Et notificetur omnibus quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae die 18 martii 1995.

Gilbertus Card. Agustoni,
Praefectus
D. Simon Card.
Lourdusamy
Rosalius Ioseph Card.
Castillo Lara
Eduardus Card. Gagnon
Antonius Maria Card.
Javierre Ortas

+ Iulianus Herranz,
Ponens.
+ Philippus Giannini
+ Aemilius Eid

Notificetur.
Die 26 iunii 1995.

+ Zenon Grocholewski
Secretarius

Vincentius Cárcel Ortí
Cancellariae Moderator